



## **Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Antverpiae, 1647**

119. Adsciscit sibi cognomen à Cruce, quia desiderat vivere & mori in Cruce. Et, ut toties Crucis recordetur, quoties nomen suum usurpat, vel audit, Brunus à Sancta Cruce Romanus.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55449](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55449)

## IX.

## AMATOR CRUCIFIXI

*Adsciscit sibi cognomen à Cruce, quia desiderat vivere ac mori in Cruce. Et, ut toties Crucis recorderetur, quoties nomen suum usurpat, vel audit.*

119.

**I**D faciunt plurimi in iis Religiosorum familiis, in quibus, qui vel primo suo in Monasterium ingressu, vel dum professione vitæ statusque mutationem stabiliunt nomina & agnomina vetera ponunt, ac nova adsumunt, ut in iis nova sint omnia. Hinc Petrus de CRUCE, Paulus de S. CRUCE, Joannes CRUCIVS. Non desunt tamen etiam in aliis Ordinibus, qui ad honorandum CRUCIFIXVM idem faciunt. Recentissimum est exemplum in homine Societatis IESV.

BRVNVS  
A  
SANCTA  
CRUCE,  
Romanus.

ANNO M. DC. XL. P. BRVNVS BRVNVS, qui se postea nuncupari voluit, A SANCTA CRUCE, patriâ Romanus, & LVDOVICVS CALDEIRA I usitanus, post insignem operam rei Catholicæ in Æthiopiâ navatam, cum exacto inde Patriarchâ clam perstitissent; ac interfecto nuper Episcopo Nicæno, essent superstites. Et SANCTA-CRUCIVS quidem, multis acceptis vulneribus egit strenuè  
ut si-

IMITATRIX CRUCIFIXI. 209

ut fidem Catholicam tueretur. Tandem tamen in Megogâ seu Tigri comprehensi, jussu Imperatoris occisi sunt.

*Litt Societ. Tabula & Index Martyr. Societ.*

X.

AMATOR CRUCIFIXI

*Dum erigit Crucem, libenter ad mortem se offert inimicis Crucis.*

**C**AVSSA proficiscendi ad Indos Patribus Societatis JESU est plantare inter Gentiles CRUCEM, & adorandum proponere, post fidem CHRISTI introductam, CRUCIFIXVM. Quod inter alios egregiè præstiterunt,

120.

PATRES  
INDORVM  
Curatores.

RVDOLPHVS A QVAVIVA cum Sociis quatuor eapropter occisus. Rudolphus Joannis Hieronymi Ducis Hadrianorum filius, duorum Cardinalium, Julii & Octavii Germanus, tres annos apud Regem Mogorum in magnâ vitæ asperitate, ut verus CRUCIS Amator egerat; tantoque precandi studio, ut sæpè, cum se primis tenebris conjecisset in preces, mane in eodem vestigio reperiretur. Quo tempore tot ei affuebant solatia, cælestesque deliciae, ut, tum demum diceret, se ex animi sententiâ vivere. Tanta erat erga omnes sanctitatis opinione, ut vulgo Angelus vocaretur.

RVDOLPHVS A-  
QVAVIVA  
Italus.

Tandem autem mortem pro CRUCI-